

ce á su mayor bien: entre tanto les echamos nuestra Santa Bendicion, rogando á Dios prospere nuestro trabajo. Palacio Arzobispal, México, y Agosto 18. de 1770.

## CARTA

A N. SS. P. Clemente XIV. por su Exaltacion.

BEATISSIME PATER.

**I**N Littore, jamque in tuto positus post resurrectionem Salvator noster Apostolis apparens, dum exagitata ventis Navicula dexteram porrexit, aptissimum documentum electionis Beatitudinis vestrae, & exaltationis ad Ecclesiae universalis culmen, ad Summi Pontificatus apicem, ad procellas Maris sedandas, ad Claves Ecclesiae obtinendas, & Navis, Arcaeque Noë Clavum regendum non suboscetum nobis praeibit.

Jamjam, Beatissime Pater, tam dexterrimo Navarcho, & Christi Vicario alacres, libentissimique fluctus Maris non exhorrentes, nec modica fide dubitantes ad Vos confugiemus; Spiritus enim Sancti lumine edocti Sacri Cardinalium Collegij uniformia suffragia, ut Discipulorum cœtus, venerabimur; Principum Catholicorum, Cleri, & Populi Romani, & orthodoxorum plausibus, imo profuso gaudio certo nobis promittimus, non ab hominibus, sed inspirante Deo, vestram inaugurationem fuisse factam.

Faxit Deus, cuncta in prosperum cedant; ut numine sacro præveniente, actiones Beatitudinis vestrae adjuvando profiquetur. Ita enixe exoptamus, in Beatitudineque vestra Petri firmissimam fidem, Evangelicam Paupertatem, Disciplinæ Eccle-

clesiastica, & morum reformationem, pacemque inter Catholicos Principes augeri, fidentissime speramus.

Hæc Mexicana Provincia tanto Patrono, & Ponente Cause Beatificationis V. Joannis de Palafox exultat, exilit, & extra se rapitur, ut Nova Hispania subit Pro-Regem, mea Metropolitana Ecclesia Gubernatorem, & Angelopolitana suum vigilantissimum Pastorem Sanctorum albo annumerare, Sacrisque in Altaribus colere mereantur.

Mihi omnium minimo ardentissimum desiderium adest congregandi Provinciale Concilium, & ut a regulis Sanctæ Matris Ecclesie Romanæ nullatenus deviem, benedictionem Beatitudinis vestrae reverenter eslagito; interea Deum exoro ut Sanctitatem vestram diu Patrem nostrum, Supremumque Ecclesie visibile Caput, incolumen servet, Mexici viii. Kalendas Novembris anni Domini MDCCLXIX.

BME. PATER.

Ad Sanctitatis vestrae Pedes  
humillimè provolutus.

Franciscus Archiepiscopus Mexicanus.

## RESPUESTA

DE SU SANTIDAD

A la Carta antecedente en forma de Breve;

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO

ARCHIEPISCOPO MEXICANO.

CLEMENS

PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, &  
Apostolicam Benedictionem.*

**A**CCIPIMUS LITTE-  
ras tuas, in quibus de  
Pontificatus Dignitate  
divinitus nobis collata ita agis,  
ut perspicue animum tuum &  
erga commissam nobis Eccle-  
siam, & erga Tenuitatem no-  
stram vehementer affectum esse  
declares. Qui tui Sensus cum  
commune præsertim Christia-  
næ Reipublicæ bonum respi-  
ciant, & tuo Episcopali mu-  
neri sunt magnopere consen-

A N. VEN. HERMANO,

FRANCISCO

ARZOBISPO DE MEXICO.

CLEMENTE

PAPA XIV.

*Venerabile Hermano, Salud, &  
Apostólica Bendicion.*

**H**EMOS RECIBIDO  
vuestra Carta, en la que  
de tal suerte tratais de  
nuestra exaltacion al Trono Pon-  
tificio por disposicion de Dios,  
que manifestais claramente vue-  
stro vehemente amor no solo á  
la Católica Iglesia puesta á nue-  
stro cargo, sino tambien á nue-  
stra Pequeñez. Y como todos es-  
tos sentimientos de vuestro áni-  
mo miran principalmente á el  
bien comun de la República

Christi-

tanei, & ita Nobis grati ac-  
ceptique fuere, ut cum eol-  
dem Tuis Tuorumque ad  
Deum pro municienda nostra  
imbecillitate precibus cumu-  
les, majorem in modum uti-  
les Nobis fore confidamus.

Itaque tua erga Nos stu-  
dia cum plurima observantia,  
ac erga hanc Sanctam Sedem  
devotione conjuncta, lucu-  
lentius comprobare non po-  
tes, quam si prodesse Nobis  
hujusmodi precationum sub-  
sidijs nunquam intermittas, ac  
quanto pluribus locorum in-  
tervallis distas, tanto magis  
Nobiscum per hæc caritatis  
officia conjungaris. Quod dum  
facies, de mutua nostra erga  
Te benevolentia ita Tibi cu-  
pimus esse persuasum, ut op-  
portunitates quasque eandem  
reipsa confirmandi, simus sem-  
per libentissime capturi.

Quod a Nobis igitur po-  
stulas de Venerabilis Servi  
Dei JOANNIS PALAFOX  
Causa, de eo ita rationem ha-  
bemus, ut Divinam quantum  
in Nobis est, provehere glo-  
riam,

Christiana, son muy propios de  
vuestro Pastoral Oficio, y por lo  
mismo muy agradables á Nos,  
de modo que pues los colmais  
con vuestras cõtinuas súplicas,  
y las de vuestras Ovejas al To-  
do-Poderoso para que fortalez-  
ca nuestra debilidad, esperamos  
nos han de ser útiles sumamente.

En esta inteligencia no po-  
dreis dar prueba mas evidente  
de vuestro afecto á nuestra Per-  
sona, y Dignidad, y de vuestro  
respeto, y devocion á esta Santa  
Sede, que si procurais ayudar-  
nos sin interrupcion con los so-  
corros de vuestras Oraciones; y  
quanta mayor distancia de lugar  
hay entre uno, y otro, tanto mas  
os unais á Nos con estos oficios  
de ardiente caridad. Hecho esto,  
deseamos os persuadais firme-  
mente de nuestro mutuo amor  
á vuestra Persona, y de que apro-  
vecharemos gustosissimamente  
toda ocasion oportuna de acre-  
ditar con obras nuestra benevo-  
lencia.

De lo q nos suplicais acer-  
ca de la Causa de Beatificacion  
del V. Siervo de Dios D. JUAN

Qqa

DE

riam, quo Nostra Tuamque vota diriguntur, omni opera contendamus.

Demum Pastoralem vigilantiā, Tuamque in Apostolico peragendo Ministerio curam ac sedulitatem agnoscentes, Teque proinde uberiori profrequentibus caritate Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, Tuamque fideicommissō Populo peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam MARIAM Majorem sub Anno Piscatoris die XXIX Martij MDCCLXX, Pontificatus nostri Anno primo.

*Benedictus Sicut*

DE PALAFOX, tenemos tanto cuidado, que trabajamos con todo esmero en que por este medio sea promovida, y enalzada, en quanto está de nuestra parte, la gloria del Señor, que es á lo que se dirigen nuestros votos, y á lo que miran los vuestros.

Ultimamente V. Hermano, porque conocemos vuestra Pastoral vigilancia, cuydado, y diligencia continua en el cumplimiento de vuestro Apostolico Ministerio, y porque os tenemos por esta causa mas abundante caridad, os damos con mucho amor á Vos, y vuestro Rebaño nuestra Bendición Apostolica: Dado en Roma en Santa Maria la Mayor baxo del Anillo del Pescador á 29 de Marzo de 1770. Año primerode nuestro Pontificado.

*Benedictus Sicut*  
DE JOHANNIS PALAFOX  
CON:

## CONVOCATORIA

Dirigida á los Illmos. Señores Obispos Sufraganeos del Arzobispado, y Provincia de México, para la asistencia á el Concilio Provincial publicado para el dia 13. de Enero de 1771.

FRANCISCUS ANTONIUS LORENZANA, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Mexicanus Regiæ Majestatis a Consilijs, &c. Reverendissimo in Christo Fratri N. Episcopo N. Regio Consiliario, Suffraganeo, & Comprovinciali nostro, pacem, & veram Christi dilectionem.

**R**EDEMPTOR noster Jesus-Christus, ut Supernus Agricola Vineam suam electam alijs Agricolis locavit, qui provida sollicitudine zizania evellentes, & per assiduum boni seminis cultum optimas fruges in horrea Domini congregantes, cumulatam fructum suis temporibus redderent: tanquam Summus Pastor Gregem suum alijs custodibus commendavit, ut vigilias noctis custodientes salutaribus Pascuis reficerent, ægritudines ejus mederentur, & saluum Domino Depositum in illum æternum diem servarent: Ut invisibile Militantis Ecclesiæ Caput Petro, ejusque Successoribus plenitudinem potestatis, ceteris vero Apostolis, & Episcopis partem sollicitudinis contulit, ut collatis in commune consilijs, Sponsa ejus Ecclesia ab omni ruga, & macula immunis, unitate in Fide, pulchritudine in moribus totum per Orbem diffusa, latius in dies Ramos suos

Rr

pro-

protendens, fructus ederet uberiores; Divinoque Spiritu compacta a capite ad membra miro ordine virtutem impertiret; & denique velut Navis Ecclesiæ Supremus Gubernator omnes, qui in hac Arca Noë salvi fient, inter hujus Mundi procellas, & tempestates ad Portum salutis æternæ dirigere intendens quosdam quidem Prophetas, alios autem Doctores, & Episcopos cælesti quadam Hierarchia constituit, ut ad similitudinem Angelorum inferiores a superioribus illuminentur, Pastores gregi invigilent; Doctores insipientes erudiant; Agricola mala germina comburant; upto capitis ad membra verum Christi Corpus efficiat; Sponsa illibatam fidem uni Domino suo custodiat; fidelium coetus, & congregatio non solum Localis, aut Provincialis Præsulis, & Doctoris, sed universalis Magistri, & Directoris, OEconomus Domini Domus Israel, & Principis omnis possessionis suæ judicio subiaceat; ejusque præceptis imbuta a regulis Fidei nullatenus deviet, sitque semper una, unica sponsa, unica immaculata columba, una fides, unum cor, unus spiritus, una mens, unus sensus, & unum Baptisma.

Ob hoc ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Concilia indicta, & congregata ab ipsis Apostolis tam ad Symbolum Fidei proponendum, quam super Legalia decernendum; & Episcopi Ecclesiarum cum Summo Pontifice de Paschate celebrando contulerunt: statim post pacem Ecclesiæ redditam, tertioque ejus sæculo Concilium Nicænum, ipsomet Imperatore Constantino adstante, fuit celebratum, deinde decem, & octo Concilia Generalia, ex quibus præcipue Calcedonense, Ephesinum, Constantinopolitanum, & ultimo Tridentinum regulam Fidei, & morum præscripserunt; sed absdubio cum lapsu temporis inter Concilium generale, & generale abusus irrepant, crimina grassentur, mores Christianorum a recta semita mandatorum deflectant; imbecillis, & superbi humani ingenij arrogantia in errores prolabatur, scindere

dere intendens inconsutilem Tunicam Christi, non absque salutaris remedio Ecclesiæ fuit derelicta, nam ad hoc Christi Vicario, Vineæ Domini Sabaoth Supremo Agricola, summo Navis Ecclesiæ Navarcho potestas fuit collata, ut succidat opportuno in tempore zizania, & lupos ab ovili Domini arceat; necnon Concilia Nationalia, Provincialia, & Diocesana habita sunt, ut præsentissima medicamina ad ægrorum salutem reparandam, extirpandos errores, & veluti ductus aquæ salientis in vitam æternam a Christo vivo fonte ad nos transmissæ.

A tertio equidem ultimo nostro Concilio Provinciali Mexicano anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto celebrato, duobus circiter sæculis transactis, aliud propter varias difficultates minime fuit indictum, non sine ingenti animi dolore nostrorum Prædecessorum; nunc igitur, Dei gratia, cum dies optatus illuceat, ut Ecclesiasticis præceptis, & nostræ conscientiæ satisfacere valeamus, occasionem divinitus a nostro Rege Catholico oblatam, & commendatam in adjunctis Regijs Schedulis abripere properamus, præcipue tot, tantisque temporum diuturnitate, consuetudinum varietate, & inobservantia Canonum, excrescentibus causis, quæ sine omnium Prælatorum congregatione nequeunt expediri: Quare Sacrum Concilium Provinciale pro excessibus corrigendis, reformandis moribus, componendis controversijs, & ijs constituendis, quæ ad cultus Divini augmentum in his Provincijs visa fuerint, rite celebrandum indicimus, die decima tertia mensis Januarij, qua celebrabitur octava Epiphaniæ Domini, anni proximi venturi millesimi septingentesimi septuagesimi primi, & sequentibus prosequendum, & perficiendum juxta Canonicas sanctiones.

Fraternitatem itaque vestram in Domino hortamur, & præsentibus præcipiendo mandamus sub Censuris, & Pœnis a jure statutis, quatenus die, & Loco assignatis, remoto quocum-

que excusationis prætextu, ad initium, & prosecutionem Concilij personaliter interesse curetis: Monemus insuper, & rogamus, ut in vestris Ecclesijs Preces interea privatas, & publicas ad Deum effundatis, ut Pater Cælestis Dives in misericordia visitare Vineam istam in benedictionibus suis, actusque nostros, & consilia aspirando prævenire, & adjuvando prosequi dignetur, nullatenus hæsitantes præmijs, quæ vestris spiritualibus auxilijs, prudentissimis consilijs, & suffragijs abs studio comparabitis, itinerum labores, atque dispendia centuplum fore compensanda. Datis Mexici die 10. Januarii anno Domini 1770.

## CONVOCATORIA

Dirigida a los Muy Ilustres, y Venerables Cabildos de las Iglesias Cathedralas de los Obispos Sufraganeos del Arzobispado, y Provincia de México.

FRANCISCUS ANTONIUS LORENZANA,  
Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Mexicanus Regiæ Majestatis a Consilijs, &c. Reverendis Dominis Decano, & Capitulo Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ N. Diocæleos, salutem in Domino.

**C**UM multis ab hinc retro annis, non sine vehementi Prædecessorum nostrorum animi dolore, legitimæ, & urgentes causæ Concilij Provincialis congregationem differre compulerint, & nunc Dei Benignitate, & Providentia, repagulis sublatis, occasio aptissima nobis a nostro Pijssimo, Potent-

terissimo, & Catholico Rege ad id oblata, & commendata sit, sub obedientia Beatissimi Domini nostri Papæ in observationem eorum, quæ antiquis præcepta Decretis, & Sacro Tridentino Concilio Sæc. 24. sunt renovata, prædictum Concilium die decima tertia mensis Januarij, qua celebrabitur octava Epiphaniæ Domini, anni proximi venturi millesimi septingentesimi septuagesimi primi, aperiendum, inchoandum, & cum Reverendissimis Cœpiscopis nostris, alijsque Personis, quæ de jure interesse, aut debent, aut possunt, in hac Civitate Mexicana rite celebrandum indicimus; vobisque convocationem, & indictionem ejus præsentibus intimandam duximus, & intimamus; monentes, & exhortantes, ut juxta Ecclesiasticam consuetudinem, unum, vel duos ex vobis cum sufficienti mandato, & instructione, qui Synodi celebrationi vestro nomine assistant, ad præfatam diem huc destinatis; atque mittatis, ut circa morum reformationem, excessuum correctionem, controversiarum compositionem, determinationemque eorum, quæ ad Dei gloriam, & cultum in hac Provincia necessaria, aut opportuna visa fuerint, vestrum salubre consilium, ut jure conceditur, ad magnam, ut speramus, Ecclesiæ utilitatem conferatis. Datis Mexici die 10. mensis Januarij anno Domini 1770.

## CONVOCATORIA GENERAL

Para el Concilio.

**FRANCISCUS ANTONIUS LORENZANA,**  
 Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Me-  
 xicanus, Regiæ Majestatis a Consilijs, &c. Omnibus,  
 & singulis in Christo dilectissimis Provincialibus, Vi-  
 carijs, Prioribus, Guardianis, alijsque Sactorum Ordini-  
 um Prælati, necnon Plebanis, Rectoribus, Benefi-  
 ciatis tam Curatis, quam Servitoribus Parochialium,  
 & aliarum Ecclesiarum, Universitatibus, Collegijs,  
 Hospitalibus, Confraternitatibus, & Personis tam Ec-  
 clesiasticis, quam Laicis N. Dioceseos, & aliarum in  
 nostra Mexicana Provincia existentium, cujuscum-  
 que gradus, & conditionis, quorum interest, vel in-  
 teresse poterit, Salutem in eo, qui est vera salus.

**R**EDEMPTOR noster Jesus-Christus, ut Supernus Agri-  
 cola Vineam suam electam alijs Agricolis locavit, qui  
 provida sollicitudine zizania evellentes, & per assiduum  
 boni seminis cultum optimas fruges in horrea Domini congre-  
 gantes, cumulatam fructum suis temporibus redderent tanquam  
 Summus Pastor Gregem suum alijs custodibus commendavit, ut  
 vigilias noctis custodientes salutaribus Pascuis reficerent, ægri-  
 tudines ejus mederentur, & salvum Domino depositum in illum  
 æternum diem servarent: Ut invisibile Militantis Ecclesiæ Ca-  
 put Petro, ejusque Successoribus plenitudinem potestatis, alijs-  
 que

que Apostolis, & Episcopis partem sollicitudinis contulit, ut  
 collatis in commune consilijs, Sponsa ejus Ecclesia ab omni ru-  
 ga, & macula immunis, unitate in Fide, pulchritudine in mori-  
 bus totum per Orbem diffusa, latius in dies ramos suos pro-  
 tendens, fructus ederet uberiores; Divinoque Spiritu compacta  
 a capite ad membra miro ordine virtutem impertiret; & denique  
 velut Navis Ecclesiæ Supremus Gubernator omnes, qui in hac  
 Arca Noë salvi sient, inter hujus Mundi procellas, & tempesta-  
 tes ad portum salutis æternæ per suos Ministros dirigere inten-  
 dens, quosdam quidem Prophetas, alios autem Doctores, &  
 Episcopos celesti quadam Hierarchia constituit, ut ad similitu-  
 dinem Angelorum inferiores a superioribus illuminentur, Pasto-  
 res gregi invigilent; Doctores insipientes erudiant; Agricola  
 mala germina comburant; unio capitis ad membra verum Chri-  
 sti Corpus efficiat; Sponsa illibatam fidem uni Domino suo custo-  
 diat; fidelium cœtus, & congregatio non solum Localis, aut Pro-  
 vincialis; Præfatis, & Doctoris, sed universalis Magistri, & Di-  
 rectoris, Oeconomus Domini Domus Israel, & Principis omnia  
 possessionis suæ judicio subjaceat; ejusque præceptis imbuta a  
 regulis Fidei nullatenus deviet, sitque semper una, unica spon-  
 sa, unica immaculata columba, una fides, unum cor, unus spiri-  
 tus, una mens, unus sensus, & unum Baptisma.

Ob hoc ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Concilia indicta,  
 & congregata ab ipsis Apostolis tam ad Symbolum Fidei pro-  
 ponendam, quam super Legalia decernendum; & Episcopi Eccle-  
 siarum cum Summo Pontifice de Paschate celebrando contule-  
 runt: statim post pacem Ecclesiæ redditam, tertioque ejus sæculo  
 Concilium Nicænum, ipsomet Imperatore Constantino adstante,  
 fuit celebratum, deinde decem, & octo Concilia Generalia, ex qui-  
 bus præcipue Calcedonense, Ephesinum, Constantinopolitanum,  
 & ultimo Tridentinum regulam Fidei, & morum præscripse-  
 runt.

runt; sed ab studio cum lapsu temporis inter Concilium generale, & generale abusus irrepant, crimina grassentur, mores Christianorum a recta semita mandatorum deflectant; imbecillis, & superbi humani ingenij arrogantia in errores prolabatur, scindere intendens inconsutilem Tunicam Christi, non absque salutaris remedio Ecclesia fuit derelicta, nam ad hoc Christi Vicario, Vineæ Domini Sabaoth Supremo Agricolaë, summo Navis Ecclesiæ Navarcho potestas fuit collata, ut succidat opportuno in tempore zizania, & lupos ab ovili Domini arceat; necnon Concilia Nationalia, Provincialia, & Diocæsana habita sunt, ut presentissima medicamina ad ægrorum salutem reparandam, extirpandos errores, & veluti ductus aquæ salientis in vitam æternam a Christo vivo fonte ad nos transmissæ.

A tertio equidem ultimo nostro Concilio Provinciali Mexicano anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto celebrato, duobus circiter sæculis transactis, aliud propter varias difficultates minime fuit indictum, non sine ingenti animi dolore nostrorum Prædecessorum; nunc igitur, Dei gratia, cum dies optatus illucescat, ut Ecclesiasticis præceptis, & nostræ conscientiaë satisfacere valeamus; occasionem divinitus à nostro Rege Catholico oblatam, & commendatam abripere properamus, præcipue tot, tantisque temporum diuturnitate, consuetudinum varietate, & inobservantia Canonum, excrecentibus causis, quæ sine omnium Prælatorum congregatione nequeunt expediri: Quare Sacrum Concilium Provinciale pro excessibus corrigendis, reformandis moribus, componendis controversijs, & ijs constituendis, quæ ad cultus Divini augmentum in his Provincijs visa fuerint pertinere, in hac Civitate Mexicana, rite celebrandum indicimus, die decima tertia mensis Januarij anni proximi venturi millesimi septingentesimi septuagesimi primi, & sequentibus profequendum, & perficiendum juxta Canonicas san-

functiones: quo circa vos omnes, & unumquemque vestrum monemus, & invitamus, quatenus siquid erit eorum, quæ in nostra congregatione agenda sunt, aut agi poterunt, quod ad vos atinere existimetis, Sacro Provinciali Concilio, & nobis libere, & confidenter proponatis, nam & ad satisfactionem eorum, qui se læsos esse prætenderint, juris debitam æquitatem pollicemur, & quidquid ad communem, vel privatam utilitatem convenire suggereritis, attenta, sedulaque meditatione perpendemus, ut ad finem divini obsequij, & omnium tranquillitatem cuncta dirigantur: utque rectius fiat, vos omnes hortamur in Domino, ut in vestris Cœnobijs, Ecclesijs, & Domibus, divinæ Majestati pro felici inchoatione, prosecutione, & absolutione Concilij indefinenter Preces offeratis, & de Thesauris Ecclesiæ omnibus, & singulis, qui ad hoc impetrandum quinque Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam devote recitaverint; quadraginta dierum Indulgentiam concedimus, & impartimur: in quorum fidem præsentis litteras sigillo nostro munitas, & manu infrascripti Secretarij signatas dedimus, quas in hac Cathedrali Ecclesia, & alijs nostræ Provinciæ publicari mandamus, & valis dictarum Ecclesiarum affigi, decernentes hujusmodi publicationem valere, ac si singulis vestrum essent exhibitæ, vel ostensæ. Datis Mexici Die decima Januarij anno Domini millesimo septingentesimo septuagesimo.